

Der folgende Text ist in angemessenes Deutsch zu übersetzen!

Bei der Fertigung der Reinschrift der Übersetzung für Korrekturzwecke bitte jede zweite Zeile frei lassen!

Darf die Tugend kritisiert werden?

Seneca verweist bei seinem Lob der Tugend auf Sokrates, der sich Angriffe auf Tugenden verbittet und zugleich aber auch darauf hinweist, dass Tugenden zwar über alle Kritik erhaben seien, aber durch Kritik auch geprüft und erwiesen würden.

Ecce Socrates ex illo carcere, quem intrando purgavit omnique honestiorem curia reddidit, proclamat: „Qui iste furor, quae ista inimica dis hominibusque natura est infamare¹ virtutes et malignis sermonibus sancta violare? Si potestis, bonos laudate, si minus, transite; quod si vobis exercere taetram istam licentiam placet, alter in alterum incursitate. Nam cum in caelum insanitis, non dico sacrilegium
5 facitis, sed operam perditis. Praebui ego aliquando Aristophani materiam iocorum, tota illa comicorum poetarum manus in me venenatos sales suos effudit: inlustrata est virtus mea per ea ipsa, per quae petebatur; produci enim illi et temptari² expedit, nec ulli magis intellegunt, quanta sit, quam qui vires eius lacessendo senserunt: duritia silicis nullis magis quam ferientibus nota est. Praebeo me non aliter quam
10 rupes aliqua in vadoso mari destituta, quam fluctus non desinunt, undecumque moti sunt, verberare, nec ideo aut loco eam movent aut per tot aetates crebro incursu suo consumunt. Adsilite, facite impetum: ferendo vos vincam. In ea, quae firma et inxsuperabilia sunt, quidquid incurrit, malo suo vim suam exercet: proinde quaerite aliquam mollem cedentemque materiam, in qua tela vestra figantur. Vobis autem vacat aliena scrutari mala et sententias ferre de quoquam? „Quare hic philosophus laxius habitat? Quare hic lautius cenat?‘ Papulas³ observatis alienas, obsiti⁴ plurimis ulceribus? Hoc tale est, quale si
15 quis pulcherrimorum corporum naevos⁵ aut verrucas⁶ derideat, quem foeda scabies depascitur. Obicite Platoni, quod petierit pecuniam, Aristoteli, quod acceperit, Democrito, quod neglexerit, Epicuro, quod consumpserit; mihi ipsi Alcibiaden et Phaedrum obiectate, o vos maxime felices, cum primum vobis imitari vitia nostra contigerit.“

1 infamare: in Verruf bringen 2 producere et temptare: ins Licht rücken und prüfen 3 papula: Bläschen

4 obsiti: von obserere 5 naevus: Muttermal 6 verruca: Warze